



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvrghensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Additiones.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

HENRICVS *Preßlauver.*  
 NICOLAUS *Kneittinger.*  
 VDALRICVS *Eysenhoferer.*  
 GEORGIUS *Aprecher.*  
 PANTALEON *Hausner.*  
 LVCAS *Wagner.*  
 PETRVS *Spächter.*  
 GWOLFGANGVS *Lyndtmaxr.*  
 CONRADVS *Hirschauer.*  
 BARTHOLOMÆVS *modernus Præpositus.*

BEVRBERG MONASTERIUM CANO.  
 REGVL. SANCTI AVGVSTINI.

ALIAS vulgò Peilberg, ad Loyfam Monasterium ædificatum est per Attonem, Eberhardum & Conradum de Irinspurg, fratres. At secundum Auent. fol. 552. per Eberhardum & fratrem suum Albertum, qui Imperatori Henrico quarto plurimum acceptus fuit, vnà cum coniuge Alberti Bertha, & filio Ottonem, pro Monachis Augustinianis dicatum, circa Annum 1100. Confirmatio autem Calixti secundi Pontificis scripta ad Ottonem fundatorem, quem vocat Nobilem & Illustrem Ottonem de castro Yringi, ipsius tantum mentionem facit, quòd ipse prædium suum in Peilberg dederit, vt ibi in honorem S. Petri & Pauli pro Regularibus fratribus Ecclesia construeretur, dans Monachis facultatem, quem velint Aduocatam liberè eligendi. Datum Laterani, Anno 1121.

SEPULTI sunt in hoc Monasterio duo ex fratribus fundatoribus in abside meridionali, tertius in Monasterio Wiltha Ordin. Præmonstratens. in Tyrolensi Comitatu. Item hic sepulti sunt, Weiknandus Miles junior de Erinpurg, Nobiles de Thor, Successores in castro Erinpurg, cum vxoribus. Item Althamer, cum vxoribus & filiabus, haber anniuersaria decem, & decem Altaria, ac vt monumenta ibi habent, bis incendio periit.

ADDITIONES.

Calixtus Episcopus seruus seruorum Dei. Nobili & Illustri viro, Ottoni de Castro Iringi, salutem & Apostolicam benedictionem. Deuotionem tuam spectauimus, quia prædium tuum *Puribergk* vbi Ecclesiam in honorem Apostolorum Petri & Pauli ædificare desideras, in qua videlicet regulares Fratres in omnipotentis Dei seruitio communitè conuersentur, B. Petro eiusq; Romanæ Ecclesiæ obtulisti. Eandem itaq; oblationem nos ad honorem Dei & salutem animæ tuæ suscipientes, locum ipsum B. Petri patrocinio communimus. Statuimus enim vt nullus eum occupare, nullus ibi assultus facere vel molestias ausu temerario audeat irrogare. Sed omnia quæ vel à te iam collata sunt, vel in futurum de suo iure à quibusque fidelibus conferentur, quieta & integræ, sub Apostolicæ sedis munimine conferuentur. Ita tamen vt exinde pro censu singulis quatrienarijs alba cum amiciis suis Lateranensi Basilicæ B. Laurentij persoluatur. Statuimus etiam vt deinceps neque tibi neque alicui hæredum tuorum facultas sit se in prædicti loci aduocatiam ingerere, sed iuxta fratrum electionem & liberam voluntatem aduocatus ibi per Dei gratiam statuatur, id ipsum & de Prælato loci decernimus obseruandum. Si quis autem huic nostræ constitutioni temere, quod absit, contraire tentauerit, honoris & officij sui periculum patiat, aut excommunicationis ultione plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit. Qui verò locum ipsum, & Fratres in eo Domino seruientes ju-

uare, suisq; rebus honorare curauerint, omnipotentis Dei & Apostolorum eius Petri & Pauli benedictionem & gratiam, & peccatorum suorum veniam consequantur, Amen. Ego *Calixtus* Catholicæ Ecclesiæ Episcopus collaudans confirmauit hanc litteram per manum Gridoboni S. R. Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij, III. Cal. April, Ind. XIII, Incarnat. Dominicæ Anno MCXXI. Pontificatus autem Domini Calixti II. Papæ anno tertio.

SEQVUNTUR PRÆLATI HUIVS MONASTERIJ ex vetusto libro M. S. excerpti, quamuis interrupta serie.

HENRICVS Ob. Anno MCLXXIII. Sepultus in Ecclesia parochiali, TEVGO.

GENOLFVS.

EBERHARDVS, Vir religionis obseruantissimus & rei familiaris studiosus, obtinuit ab Innocentio III. PP. incorporationem parochiæ Tegerndorff.

BERCHTOLDVS I. prouinciã pro religionis dignitate & fratrum cōmodo gessit.

EBERHARDVS II.

FRIDERICVS.

BERNHARDVS, immatura morte preuentus.

HENRICVS II. Vir frugi & pius. Sub hoc Prapósito prid. D. Albani monasterium maximam ex incendio iacturam accepit.

LEVTHOLDVS.

CONRADVS I. Glanner cognominatus. Vir gravis, circumspēctus, & multa rerum experientia doctus, compluribus Manuscriptis Codicibus bibliothecam instruxit. Ob. An. MCCCXVIII.

CONRADVS II. Ob. An. MCCCXXVIII. IV. Non. April,

GETOLFVS Ob eod anno.

CONRADVS III. Glanner, morum & vitæ integritate pollens Ob. Anno MCCCXLIX. Dominica Latave. Huius regiminis anno primo per incuriam coqui monasterium igni conflagrauit.

VDALRICVS Vietor Monacensis in numerum Prælatorum simoniacè irrepit, sed nona post initam dignitatem septimana diem clausit extremum.

WALTHERVS annis præfuit quatuor, ob. Anno MCCCIII.

CONRADVS IV. Saxo dictus, ex seculari sacerdote Anno MCCCXL. Monachum in Monasterio Peulberg professus, ob excellentes ingenij dotes, & singularem rei familiaris peritiã, gubernator omnium consensu eligitur, permutauit cum Alberto Frisingen. Antistite reditus quosdam annuos in Marchia Schlauonica Peurburgenli Monasterio debitos pro parochiali Ecclesia in Minlingen, cum pleno jure & decimis An. 1354. Ob. An. MCCCXCVIII.

Magna frugum & omnium rerum copia fuit. Bellum graue inter Comites Würtenbergenfes & Ulmenfes intercessit, praliũque commissum apud Altenheim, ex quo Würtenbergen. victores abierunt, magna Iudæorum persecutio per vniuersam ferè Europam fuit.

BERCHTOLDVS II. annos XIII Prælatus egit, circa diuini reic cultum & rei familiaris curam sollicitus. Ob. An. MCCCXII.

WERNHERVS Bolzenhauser, prælaturam octo annis tenuit, defunctus anno MCCCXX.

WERNHERVS Stöckel sexto administrationis suæ anno, prælaturam deposuit an. MCCCXXVI. moritur Anno MCCCXLI.

CHRISTIANVS dignitati renunciat. An. MCCCXXXI.

PEIRVS

PETRVS Stier honorem sibi delatum Conuentui restituit An. MCCCCXXXI.

HENRICVS Pozenhauser rexit an. XXV. felici rerum omnium successu: nam ipse Pralaturam gerente Duces Bauaria Albertus, Iohannes & Sigismundus ius vendendi citra & ultra Leufacum monasterio donarunt hac condicione, vt quamdiu hac Canonici Peurbergenfibus rata maneat, ad anniuersarium sacrum pro salute animarum suarum singulis annis in secunda Quadragesima septimana absq. omni longiori dilacione faciendum vicissim obligentur. Ob. an. MCCCCLXVI. in templo Canobij sepultus.

CASTVLVS Kall, vir ingenio mitis iuxta juris & aequitatis tenax: qui vt molestiam & iniuriam nemini intulit, ita ad propulsandam nullis expensis parcens, controuersas aduersus nobiles quosdam Ecclesiastica bona infestantes haud impigre obiuit iusq. suum & immunitates Canobij strenue ut atus est. debitum natura exoluit anno MCCCCLXXXIX.

IOHANNES Alchinger claris parentibus ortus: discordia & lites inter hunc & Casparum à Porta Equitem auratum, Aduocatam Monasterij exorta, multa eidem damna inflixerunt. Tentata frustra pace & concordia iussu Alberti Bauaria Ducis per Cōsiliarios suos, CASPAR ob animi perniciam in magnam Principis indignationem incurrit: & Wolfratshufium, ac postea Dietfurtum sub publica sponsione, vt in honestiorem custodiam relegatus fuit: nihilo tamen mitior factus contra Principis interdictum causam suam urgebat. Pralatus autem ex insidiis & machinamento Casparis, & quia mulierosus esset per D. Staupitium Augustinianorum Generalem incarceratus fuit: tandemque dignitate priuatus, anno MDII. Ius aduocatie quod jam ultra ducentos annos, nimirum ab Otone à Porta, quem Conradus I. cognomine Glanner deposito Ludouico à Wildeck instituit, apud Portarios collatum haeredit, à Caspare resignatum, filius eius Eberhardus ab Alberto Duce, vt Peulbergenfes ei conferrent, impetrauit. Alohinger è carcere missus exilio damnatur, Damascumque, vulgo Diessen / indeque paulo post in Rhor exulatum mittitur. postea ad D. Henricum iuxta lacum Würnibsee facellanus factus, agrè se atate jam decrepita sustentauit. Postremò cum septenarium exulasset commiseratione Vdalici recens electi reuocatur, vbi paucis annis superstes vitam finiuit anno MDXIII.

VDALRICVS Eifendorfer nobili loco natus, & ab Alberto Principe Administrator datus, sic Praepositus. Vir maiorum suorum laudibus & fratris tum meritis, tum auctoritate (nam Alberti aula magister erat) reuerendus: honesta forma & reliquis dotibus corporis conspicuus, verum ingenio à pueris ita tardo, & ad omnia, potissimumque ad literas, vsque adeo indocibili, vt ideo, tanquam ad res gerendas prorsus ineptus, in Monasterium traditus vulgo creatum sit. Statum Monasterij penè destruxit; breui tempore quo praesuit monasterium nouis debitis grauauit. Cui malo Albertus Princeps remedium adtulit, tollendo ab ipso administrationem, cum nondum biennium plenè administrasset. Obiit ex morbo Monachij, & Peyheringam relictus, in sacello quod ipse extruxerat sepultus fuit.

IOHANNES Tafferner, tunc Decanatum apud Pollingenfes singulari cum laudis testimonio fungens à Duce Alberto melius prospicere Peurbergenfibus Canonici satagente, inde euocatur, & Praepositus de more creatur. Anno M.D. III die Luna, ante festum D. Matthaei Moribus integer per omnia grauis, & in Oeconomia prudens, iuxtaq. diligens: debita exoluit: praedia auxit feuda comparauit: & adificijs quoq. construendis animum adiecerat: sed morte immatura praeventus persicere non potuit. Creditum fuit errore & imprudentia Pharmacopola cuiusdam Monacensis interuisse, parauerat pharmacopola medicinam iuxta medici praescriptum, ac domo exiuerat, reuertenti Praepositi nuncio stupidus atque ignarus minister domi relictus ex plurimis quae simul stabant pharmacis inconuenientissimum atque alij cuidam perferendum ad Taffernerum tradit: nuncius cum pharmaco citato cursu recedit. Pharmacopola post multum in tabernam reuersus ministri sui erro-

rem deprehendit: è vestigio quendam mittit, qui nuncium subsequatur, ac verum agromedium adferat. Verum priusquam peruenit Tafferer potionem quam nuncius attulerat exhauit, atque exin de die in diem peius habens, & de haustu isto conquerens, carus utilisq; monasterio Prælati inter manus lachrymasq; fratrum suorum animam efflauit, an. MDLX. in die Vincentij martyris.

VDALRICVS Welsch propter fidelitatem & diligentiam suam omnibus charus, omniumq; suffragiis petitus & Canonicè electus est, cum gratulatione omnium subditorum: sed dignitas mores subito mutauit. Nam pessime Prælaturam gessit, & assentatorum arbitrio agens, non carens quoque infamia ebrietatis & libidinis, disciplinam Canonicam suo malo exemplo nutare fecit. Quibus incommodis Ioannes Milecker Decanus, aetate grauis, ingenio simplex, vita moribusque pius & integer maturè obuiandum ratus, Prælatum tum suo, tum vniuersi Conuentus nomine monendo hortando, rogandoque ad meliorem frugem reducere, quamuis incassum studuit. Ille Conuentui contrarius esse, displicitura Conuentui agitare, facere: res omnes quas Ioannes antecessor seruando parcendoque reliquerat, consumere: argentum potorium oppignorare; prædia & pecora diuendere; as alienum conflare, nullam nec famam nec commodi rationem habere, ad vitiumque penè desipere. Moritur tandem nondum quadragenarius, Anno M. D. XV.

IOHANNES Milecker à Müldorforiundus sexagenarius & ultra, à Decanatu ad Prælaturam euectus, reuera pius, humilis, castus & sobrius pater, ab incunte aetate pacis ac fraternæ concordie amator, in victu, veluti in omni vita simplex & apertus, in affectibus refrenandis nihil sibi indulgens, recti verique sectator à vitio assentationis abhorrens. Bona monasterij non decoxit, sed amplauit: plura facturus si morigeros, continentis, & se dignos fratres habuisset, & officarios. Verum quod bonus senex continentia & frugalitate seruabat, id aliorum incontinentia & libidine perdebat, Ob. Prælati An. M. D. XXVII in professo D. Narcisci.

LEONHARDVS Moching. Elato Ioanne Müleckero, ac iustis funebribus iuste peractis mittitur ad Principem & Ducalem Senatam, qui communi conuentus nomine orbitatè Canobij, Priuilegiumque Pontificis super libera Præpositi creatione olim concessa exponat. supplicatq; roget, vt hanc monasterij immunitatem suo fauore, autoritate & consensu tueri, ac libera inter ipsos futura electioni diem nominare dignetur Prudentissimus Princeps etsi intelligeret nullum in Conuentu superesse huic Prouincia idoneum, atq; jam constitutum haberet & Prælatum aliunde accersere, & omnes eos, quorum culpa in eum statum Cenobium peruenisset, loco suo mouere, alioque relegare, tamen electioni diem profinit; dissimulans quid consilij haberet. Re ad hunc modum expedita spei plenius ad suos Collegas, qui è collegio Legatus profectus fuerat reuertitur: & vnà cum ipso scribarum vnus, qui Principis mandato, quicquid fuit rerum mobilium consignaret. Consignatis jam diligenter omnibus, dies qui electioni paulò antè dictus erat reuocatur Principis decreto ac alius decernitur: interim Princeps ad Prælatum Diessensem literas mittit huius tenoris, vt Leonhardum Mochingum Conuentus sui Decanum ad diem S. Elisabethæ Peulburgum mittat sine omni excusatione. Aderant ad eum diem Venerabilis ac multæ eruditionis Doctor Christophorus Tengler Vicarius Episcopi generalis, R. Dn. Ioannes Vend Pollingensis Præpositus, Magnificus Dn. Ioannes Duzinger Prælatus Bernriedensis, ab antistite Erisingen, circumspectus verò Leonardus Seuringer ab Ill. mo Principe, Guilhelmo, hoc nomine ac mandato futura electioni vt interessent & præessent. Aduentus Leonardi Mochingi Canonici qui tum erant haud temerè adtulit suspicionem. Itaque Diploma summi Pontificis atq; Antistiti templi valuis præfigunt, in quo Priuilegium electionis libera continebatur, ad hoc subinde prouocantes, vnum ex corpore suo debere ad Prælaturam assumi contendebant. Tandem compromisso liberè à singulis acceptato, dictum Leonardum Mochingum Landlpergium, Decanatu apud Diessenses annis sex & dimi-

Et dimidio singulari cum testificatione laudis omnium perfunctum, legitime & canonicè eligunt, in die S. Corbiniani, anno M. D. XXVII. Promulgato jam ex suggesto nouo Pralato ad plebem caterisque rebus: Seuringerus Ducalium reddituum magister, omnes Canonicos coram se & Pralato sisti iubet, quibus exponit, se, que acturus sit Principis jussu & autoritate facturum, cui utrum obtemperare velint, uniuersos interrogat, acceptaque à singulis de Veritate non dissimulanda seorsum quemlibet, quid rerum & pecunie priuatim habeat perquirat: illis cunctantibus sateri, cellas & arcas singulorum scrutatur, reperit enses, macheras & id genus armorum que religiosos non decent, pecunia à singulis extorta quadraginta aureorum summam conficit. Tertia ab electione die Seuringerus pauca presatis, tandem Principis mandatum recitat quo singuli mutare locum, & eò se recipere, quo missi fuerint iubentur. Itaque assignatis unicuique comitibus, data etiam in viaticum pecuniola, additis vestibus & libro oratorio, messi, ac nonnulli obortis lachrymis monasterium egrediuntur Pollingam, Diessam, Cellam, Raittenpucham, & Bernriedum singuli amandantur, ad resituendum verò numerum expulsorum, alij probata vitæ aliunde acquiruntur. Episcopus Frisingensis Philippus electionem Leonhardi ratam habet XI Decembr. Anno M. D. XXVII. Confirmatus Leonhardus rectissimo iudicio perpendit quàm incomparabiliter spiritualia corporalibus present: itaque omnem animi cogitationem eò conuertit, ut Canonicam disciplinam hæcenus collapsam de integro condat: crebris concionibus hortatur & instigat ad vitam Canonicam, rerum communitatem restituit, horumque precibus sacrorum operationibus, contemplationi, studijs, cura corporis colloquijs, silentio atque alijs Sanctæ conuersationis proprijs officijs distribuit, juxta decretum Canonicæ discipline, & morem, quo ipse à puero apud Diessenses edoctus fuerat. Præterea animum & curam applicat adificiis sarcienais, & ex nouo reficiendis tectis. Anno MDXXVIII & sequenti magna frugum penuria fuit, adeo ut ex vniuersa messe vix semen colligeretur. Prælatus redditus monasterij & census annuales adauxit. Præfuit muneri suo Leonardus bene & utiliter an. 36.

MARTINVS Khurz, el. an. 1563. decessit an. 1582.

GEORGIVS Schreiber obiit an. 1600.

VITVS Nunzinger, tertio circiter anno à Prælatura amotus fuit.

IOHANNES Sandthamer successit an. 1603. moritur an. 1615.

BALTHASAR Schropp, administrationem gessit usq. ad mensem Iunij, ann. 1619. amotus sequenti mense Nouembri ab officio & dignitate præsulatus.

EBERHARDVS modernus Præpositus.

## B E V R N.

**M**ONASTERIUM sancti Benedicti ordinis, præpe Alpes, aliud Monasterium eiusdem nominis, ac ut puto ordinis in ditione Salisburgensi, non procul à Salza fluuio, quod aliàs vocant Michel Beurn.

LANDFRIDVS, Waldramus, Elilandus, fratres, Comites ab Ancorf & Loyfadi dicti filij Theoderici Ducis, tertij huius nominis, ex familia primorum Ducum & Regum Bauariæ, tamen in libello quodam de fundatione huius Monasterij ad Abbatem Wilhelmum Dieperskircher, circa Annam 1466. Germanicè scripto, ex speculo historiali Vincentij, & ex Garibaldo quodam ponatur, hos Comites fuisse filios cuiusdã Waltherij, Com. de Bliantz, ex prouincia Gallie, famosissimi militis, qui cum Carolo Martello in Boiariã venerit, istis dominijs & terris, virtutis ergo, donatus sit, cuius rei Auent. nullibi meminit, & planè verisimilius est, hos Comites ex antiqua Bauarica familia natos, quam aduenas fuisse, Hi Comites, Anno Domini 740. indictione 8. sub Zacharia Papa, Rege Carolo,